



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 12. De Vasconibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 10. De Carpetanis.

Dicti & Carpitani, & Carpentani, & Carpesij; ferociâ & multitudinè reliquis huius tractus populis præcellerant, & verò ausi sunt aggredi Annibalem ex Vaccæis redeuntem, à quo victi tantùm, quia temerè progressi erant in prælium. Iis tamen profligatis, nihil Pœno restitit præter Saguntum.

§. 11. De Oretanis.

GERMANI cognominati sunt, fortè quasi Carpetanorum fratres. Dicti item *Metesani* ab vrbe *Metesâ*. Regio eorum montibus distincta, & sylvis spissis, & præaltis vestita.

§. 12. De Vasconibus.

ISIDORVS nomen eis ab vrbe *Vacca* ad Pyrenæum deriuat. Historiæ Gallicæ recens scriptor à Græco *βαρμεν* quod est celeriter currere; quare à *Silio Vasco lenis* canitur. Blondus & aliquot alij à Visigothis. At Vasconum nomen priùs in Europâ auditum quàm Gothorum.

MORES. Fortissimi fuerunt, idque Sertorio contra Romanos probarunt. Sed crudelissimos arguit Calagurritana obsidio, in quâ coniuges, & liberos sale conditos vorauerunt.

§. 13. De Balearidibus.

ITA vocatæ sunt à *Baleo* Herculis filio, vt vult Florus; vel à voce *βαλλειν*, quia optimi fundibularij. Dictæ sunt & Insulæ *Gymnesiæ* à Græcis, vel quia earum incolæ nudi incederent ætate, vt vult *Epitomistes Liny*, vel quoniam naufragi eò appulissent Bœoti omnino nudi, *Tzetzes*.

REGIONIS qualitas. Vino abundabat optimo, & cum Italicis comparando, *Plinius*. Carebat oleo, sed illud ex terebinto efficiebat, *Aristoteles*. Nullum hîc noxium animal, imò terra hinc allata serpentem necat, *Plinius*. Portus habebat optimos & capaces, sed iis officiebant scopuli quos Strabo *χερσίδαις* vocat.